

# Michał Wyszyński

---

## De antiquissimo in Polonia statuto synodali : de sancto viatico a fidelibus processionaliter subsequendo

---

Collectanea Theologica 15/2, 231-235

---

1934

Artykuł został zdigitalizowany i opracowany do udostępnienia w internecie przez Muzeum Historii Polski w ramach prac podejmowanych na rzecz zapewnienia otwartego, powszechnego i trwałego dostępu do polskiego dorobku naukowego i kulturalnego. Artykuł jest umieszczony w kolekcji cyfrowej [bazhum.muzhp.pl](#), gromadzącej zawartość polskich czasopism humanistycznych i społecznych.

Tekst jest udostępniony do wykorzystania w ramach dozwolonego użytku.

## **DE ANTIQUISSIMO IN POLONIA STATUTO SYNODALI: DE SANCTO VIATICO A FIDELIBUS PROCESSIONALITER SUBSEQUENDO.**

Reperitur inter statuta, quae pro Polonia edidit Iacobus archidiaconus Leodiensis, Apost. Sedis legatus, in synodo Wratislaviensi 1248. Ut res ipsa oculis contempletur, verba istius statuti submittimus.

*„De Corpore Christi a fidelibus processionaliter subsequendo, et de indulgencia subsequencium.* Inter alia mira et mirabilia admiranda que mirabilis in altis Dominus noster fecit, illud est pre ceteris mirabilibus excellencius honorandum, in quo ipse se dedit timentibus se in escam; et hoc est illud Corporis sui sacri venerabile Sacramentum, quod ipse ad Patrem transiens ex hoc mundo, nobis tanquam memoriale mirabile et delectabile dereliquit, ut illud memorabile nostre commendaretur memorie, mirabile intelligencie et delectabile voluntati. Que non cogitantes quidam presbyteri inde voti, deferentes prefatum Corpus dominicum ad infirmos, illud per vicos et plateas adeo deferunt inde voti, quod populus eidem venerabili Sacramento minus impendunt reverencie et honoris. Quocirca mandamus, ut quam cito presbyter fuerit requisitus ut ad infirmum deferat sacratissimum Corpus Christi, statim accedens ad ecclesiam pulset maiorem campanam suam ita quod per parochiam audiatur, et tunc parochiani super hoc a presbyteris eruditii ad ecclesiam veniant festinanter, pro societate usque ad domum infirmi dicto venerabili Sacramento et sacerdoti humiliter facienda. Et interim presbyter abluat manus suas, et procedens cum lumine, aqua benedicta et campanula ad infirmum, populus eundem, bini ac bini, humiliter subsequatur; et dum presbyter infirmo sacram Eucharystiam ministrabit, populus ipsum et Sacramentum ad hostium expectabit, et cum eodem

presbytero revertente usque ad ecclesiam pariter revertentur. Et cuilibet vere penitenti et confessio qui sic processerit et redierit cum dictis presbytero et ineffabili Sacramento, quinque dies pro eundo et quinque pro redeundo de iniunctis sibi penitenciis a suis episcopis relaxentur, ut per hoc et devocio populi augeatur, et dicto honorabili Sacramento maior honor et reverencia impendatur<sup>1)</sup>.

Praetermittimus, num allata verba genuinum textum ex anno 1248 contineant<sup>2)</sup> Hic tantummodo disserimur de temporis et loci peculiaribus adjunctis, de auctoris persona, necnon de ipsius statuti arguento.

Quicumque mediocriter in historia Liturgiae versati sunt, apprime norunt, quando cultus erga sanctissimum Sacramentum extra ordinem augeri coepitus est<sup>3)</sup>). Inprimis hic illud meminisse oportet: circa XII saeculi finem inducitur in celebratione Missae mos per elevationem ostendendi fideleibus Corporis Domini, tempore elevationis pulsandi, genuflectendi et adorandi<sup>4)</sup>; quoad adorationem Sanctissimi extra Missam est notandum, quod, licet vestigia accendendi luminis coram Sanctissimo in Ecclesia et deferendi s. Viatici lumine praecedente inveniantur iam ineunte secunda XII saeculi parte<sup>5)</sup>), tamen in forma generalis praescripti editur in lucem modo a. 1226, videlicet per decretalem Honorii III:

„Sacerdos vero quilibet frequenter doceat plebem suam, ut, quum in celebratione missarum elevatur hostia salutaris, (quilibet) se reverenter inclinet, idem faciens, quum eam defert presbyter ad infirmum. Quam in decenti habitu superposito mundo velamine ferat, et referat manifeste ac honorifice ante pectus cum omni reverentia et timore, semper tamen lumine praecedente, quum sit

<sup>1)</sup> Cfr. *Codex diplom. Maioris Poloniae*, Poznaniae 1877, nr. 274, p. 234.

<sup>2)</sup> Proprius statutorum textus deest. Ille antem, quo hodie utimur, procedit quoque ab Iacobo, sed ut iam Urbano IV, qui ad preces legati Anzelmi statuta sua Vratislaviensia ex a. 1248 in duplice redactione in Polonię transmisit annis 1262 et 1263. — Cfr. A b r a h a m, *Studya krytyczne do dziejów średniowiecznych synodów prowincjalnych Kościoła polskiego*, (*Studya i mater. do hist. ustawod. synod. w Polsce*, n. 5), Kraków 1917, str. 18 sq.

<sup>3)</sup> Cfr. Browe P., *Die Verehrung der Eucharistie im Mittelalter*, München 1933.

<sup>4)</sup> Ibidem, 26 sq.

<sup>5)</sup> Ibidem, 3.

candor lucis aeternae, ut ex hoc apud omnes fides et devotio augeatur<sup>6)</sup>). Ad mentem igitur istius decretalis praescripsit concilium Trevirensse anno sequente (1227), ut „Corpus Domini cum campanula et lucerna, et luminibus honorifice, et decenter portetur infirmis, item doceantur laici a sacerdote genua flectere, pectus pungere, manus iungere... Item sacerdotes moneant populum sibi subditum, ut inducant eum ad sequendum corpus Domini devote sine clamore cum contigerit sic portare<sup>7)</sup>). Quomodo sequentibus annis usque ad 1248 veneratio Eucharistiae dilataretur, non constat. In Mansii amplissima collectione inveniuntur vix septem concilia, quae Trevirensis exemplo praescribunt specialem adorationem ex parte fidelium<sup>8)</sup>). Est tamen circa hoc ultimum advertendum, quod praeter allatum concilium Trevirensse et Cenomanense neque unum statuit, ut s. Viaticum a fidelibus processionaliter deduceretur et reduceretur.

Hisce praemissis nemo non videt, quid significet Vratislaviense legati Iacobi statutum. Praeprimis videtur *fuisse illud in Polonia primum eorum, quae de veneratione s. Viatici per fideles tractabant*. Quae coniectura nostra non infirmatur per factum, quod inter archiepiscopi Fulconis statuta ex a. 1233 invenitur generale praescriptum: „ut omnia de reverentia Sacramentorum..., ut in antiquis canonibus sive in constitutionibus antecessorum nostrorum, ab omnibus nostris subditis inviolabiliter observentur<sup>9)</sup>). Decretalis enim Honorii III ex a. 1226 pro antiquo canone nondum haberri potuit. Neque admittendum est, quod circa eam aliquid statutum fuerit in synodo archiep. Vincentii, praedecessoris Fulconis, in eodem anno (1226) habita<sup>10)</sup>. Quae omnia suadent

<sup>6)</sup> C. 10, X, de celebratione miss. 41, vel. Comp. V, c. 1 (3, 24).

<sup>7)</sup> Mansi, Ampliss. collectio concil. XXIII, p. 27.

<sup>8)</sup> Mansi, Amp. coll. con. XXIII, p. 385 (Praecepta antiqua... dioecesis Rotomagensis 1235); p. 423 (Constitutiones provinc. S. Edmundi Cantuariensis Archiepiscopi 1236); p. 466 (Constitutiones synodales episcopi anonymi, circa 1237); p. 482 (Concilium Trevirensse 1238); p. 528 (Synodus Wigorniensis 1240); p. 705 (Statuta Richardi Cicestrensis 1246); p. 742 (Statuta Cenomanensia 1247).

<sup>9)</sup> Huber, Antiquissimae constitutiones synod. provinc. Gneznensis, Petropoli 1856, p. 2.

<sup>10)</sup> Umiński, Arcybiskup Wincenty z Niałka, następcą Henryka, zw. Kietliczem, Księga pamiątkowa ku czci Wł. Abrahama II, Lwów 1931, str. 159.

tur et confirmantur etiam ex eo, quia legatus Iacobus in allato statuto suo, prout in aliis facit, ad priora praescripta non provocat. Tenendo igitur hanc opinionem *collocamus incunabula adorationis s. Viatici in Polonia circa dimidium saeculi XIII.*

Pondus nostri statuti augetur, si considerabitur ipsa auctoris persona. Praeterimus iuridicam rationem, quod statutum eo ipso, quia a legato Apostolico editum fuit, maiorem auctoritatem pro Poloniae Ecclesia nactum est. Est tamen hic circa aliud advertendum. Archidiaconus Iacobus enim ante suam Apostolicam legationem versabatur cum Leodiensi b. Iuliana, quae per suam visionem (1240) dedit initium festivitati Corporis Domini; immo, cum aliis Leodiensibus canonicis examinabat visionem Iulianae; verisimiliter consilio fuit suo episcopo Roberto in introducendo festo Corporis Domini in dioecesi Leodiensi; denique idem archidiaconus Iacobus fuit, qui Alexandro IV in Pontificatu successus uti Urbanus IV per suam bullam „Transiturus de hoc mundo“ (1264) festum Corporis Domini pro tota Occidentali Ecclesia praescripsit<sup>11)</sup>. Si ergo in tali rerum evolutione ponatur nostrum Vratislaviense statutum, nihil obstat, e contra omnia suadent, ut istud habeatur pro documento crescentis in vita legati Iacobi devotionis erga s. Sacramentum. Non est cur de hac re fusius loquamur. Sufficit nostri statuti arengam comparare cum introductione bullae „Transiturus de hoc mundo“<sup>12)</sup> et invenietur non tantum simile argumentum sed etiam verba. Inde, inquirentibus in originem istius bullae nostrum praescriptum Vratislaviense *servietur uti fons vel saltem vestigium.*

Restat, ut denique attingamus ipsum argumentum Vratislaviensis statuti. Agebatur, uti inscriptio indicat, de s. Viatico a fidibus processionaliter subsequendo et de indulgentia subsequentiū. Non constat, unde legatus Iacobus rem ipsam desumpserit, ex concilio Trevirensi (1227) an potius ex Cenomanensi (1247)<sup>13)</sup>;

<sup>11)</sup> Cfr. Browe P.. Die Verehrung der Eucharistie im Mittelalter, München 1933, p. 76 sq.

<sup>12)</sup> C. un. Clem. III, 16.

<sup>13)</sup> „Item, cum presbyteros ad communicandum infirmos contigerit evocari, omni dilatione et occasione postpositis, ad eos accedant, et corpus Christi cum magna reverentia et maturitate deferant in pyxide idonea et bene clausa propter casum, nec ad hoc diaconos mittant; ac eundo et redeundo septem psalmos poenitentiales vel saltem letaniam dicant. Moneant etiam parochianos, et diligenter inducant, ut cum presbyterum deferre con-

quocumque res ceciderit, esset notandum, quod in tam speciali,  
ut vere dicam: rubricali, forma nullibi invenitur. Inde, saltem sub  
hoc respectu, Vratislaviense statutum *praestaret praescriptum no-*  
*vum et fortasse in historia Liturgiae prorsus singulare.*

Lwów

*Michael Wyszyński.*

---

tigerit corpus Christi, creatori suo cum manuum iunctione et genuum fle-  
xione dum transit, orantes devotius studeant inclinare. Eis siquidem qui  
corde contrito presbyterum cum corpore Christi devote duxerint et reduxer-  
int, decem dies de condigna poenitentia misericorditer relaxamus, et hoc  
volumus in ecclesia saepius publicari". — Mansi, Amp. coll. conc.  
XXIII, p. 247.